



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

21. Mortis repentinæ antidotum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

Oza, vir in Davidis satellitio non ignobilis, nutantem Arcam, cum Hierosolyma triumphali curru veheretur, obiectis manibus fulcire tentabat, repente tactus est de caelo. In prophetam qui cibum injussu Dei sumplerat, eductum est silvâ leonem Domini manus armavit, à quo est interfectus. Ananiam & Saphiram Christo primum initiatos, repentina vox Petri quasi fulmen in delicti expiationem percussit. Quorum animas æternis suppliciis hæc pœna subductas, bona pars Theologorum sentit. Omittam vetera.

Jacob. Gordon. Chron. in hunc annum.

Anno 1559. Henricus II. Rex Galliarum in ludis, in triumphis, in communi hominum lætitiâ est interfectus. Dum enim Parisiis filiae nuptias celebravit, in equestri certamine, pars fractæ lanceæ per illius oculum eâ vi adacta est, ut expulerit animam. Anno 1491. Alfonso Joannis II. Lusitani regis filius, annum agens decimum sextum splendidissimi ingenii, & summæ expectationis princeps, Isabellam Ferdinandi Hispaniarum Regis filiam duxit uxorem, cujus dos erat, amplissima paternorum Regnorum hæreditas. Celebrantur nuptiæ sexcentorum triumphorum apparatu; ubique ludii, Trojæ, equestres pugnæ, convivia; tantus autem erat luxus, ut calones & medastini in Attalicis vestibus fulgerent, quibus subterica & holoserica vilioris videbantur pretii. Sed pro dolo! vix mensis erat septimus, cum miser adolescens ad ripam Tagi fluminis in equo juveniliter exultans excutitur, & lethali plagâ obtrito capite datur ad terram, defertur in casam piscatoris, quæ vix illum cum duobus famulis caperet. Decumbit in stramentitiâ culcitra, ibi efflat animam. Accurrit Rex adolescentis pater cum Regina matre: vident spectaculum miserabile, versas in lamentationem pompas, surgentem filii adolescentiam, virtutes opesque, quasi nalcetes flosculos, ab improvviso Boreâ, decussas, infesto tumultu sepeliri omnia. O subitus rerum turbines! præcipites vel sit missimorum lapsus!

Hippolytus Guar. l. 6. de Abominandis generis hominis 6. 201.

Vide Insuper Henrici 4. Regis Gall. à Ludovico Richemonte scripta.

Poti corporis sunt ostiola mortis. Sen. ep. 101. med.

Quid alios memorem? Basilium Imperatorem cervus inter venandum, ramo cornu imperitum trajecit, quo vulnere non multo post extinctus est. Vetus monumentum, in castro Ambrosii, prope Qenipontum, testatur equum ab ephæbo nobili subditis calcaribus admisum, ut fossam viginti pedes longam transileret; transiit, sed eques & equus subitâ & unâ panē morte considerunt. Id equi exuvie ephæbi vestes hodieque loquuntur.

Sed repentinum hoc fatum, probis cum improbis commune est, neque infelicem animæ arguit statum nisi forte quempiam in ipso flagrantis sceletis concursu divine vindictæ feriat telum. Talis fuit Dathan & Abironis exitus, quos in Moysen perduelli animo obfematos hiatu discēdens terra miserabiliter absorpsit. Talis mors Abfalonis, quem majestatis pertinacem reum feralis hasta confixit. Tale quinquaginta satellitum, quos in Eliam parum reverentes celum flammarum globis armatum devoravit. Tale fuit Hebræi hominis exitum, quem cum infami Madianitide vindex trajecit gladius, & lectulum genialem miscuit cum funebri.

Quot pori corporis, tot ostiola sunt mortis. Non ubique se mors propē ostendit; ubique tamen propē est. Quid autem stupius, quam mirari id ullo die factum, quod omni potest fieri. Stât quidem terminus nobis, ubi illum inexorabilis fatum necessitas fixit; sed nemo scit nostrum, quam propē versetur. Sic itaque formemus animum tamquam ad extrema ventum sit: Nichil differamus.

NOTÆ IN PRIOREM PARAGRAPHUM.

MORS INFINITOS HABET ADITVS] Ita prorsus est; & dictis addo. Quidam, ut memorant, somniavit leoninis faucibus se necatum. Surgit, somni negligens, ædem sacram cum sociis adit, & in vestibulo

videt leonem saxum hiantem rictu, qui columnam fulerat. Hæc ille somnium inter comites non sine risu narrans: Et hæc, inquit, hic ille leo est; qui me hac nocte laceravit. Cum dicto manum in saxæ fauces immittit: Et, hic habes, ait, tuum hostem, stringe dentes, si potes, mileo, ac manum hanc præmorde. Vix ista dixerat, & lethale vulnus accepit in hoc innoxio, ut putabat, hiatu: siquidem latebat imâ fauce abstrusus scorpio, qui ubi manum sensit, aculeum exseruit, terigit, extinxit. Itane lapidi etiam sua bilis est? aut ubi mors non est, si vel saxei leones perimunt? Simili fato perit Hylas adolescens, quem in saxæ ursæ faucibus delitescens vipera occidit. Quod lethi genus Martialis describit libro 3. epigrammate 19.

Quid memorem puerum stitiâ de tecto in subeuntis caput decedente oculum? Quem idem Martialis eleganter hoc carmine deflevit.

Qua vicina pluit Vespianis porta columnis,
Et mader aspiduo lubricis imbre lapis,
In jugulum pueri, qui roscida templa subibat,
Decidit hiberno prægravis unda gelu.
Cumque peregriset miseri crudelia fata,
Tabuit in calido vulnere mucro tener.
Quid non seva sibi voluit fortuna licere?
Aut ubi mors non est, si jugulatis aqua?
Sic omnino mors infinitos habet aditus, tunc sæpe vicinissima, cuncta minime putatur.

§. 21. Mortis repentina antidotum.

Hic ego, Lector, extra ordinem tibi precationes velut paradigma propono, repentinæ mortis deprecandæ factas. Tui arbitrii est, aut omnes, aut unam solùm quotidie ex animo pronuntiare. Eo numero factæ sunt, ut velut supplices ter ad Christi Domini genia provolvamur, tanti momenti rem petitori. Atque hoc sciamus, hic posse neminem, aut satis cautum, aut nimis esse providum.

Ad repentinam mortem avertebam.

ORATIO PRIMA.

O Misericordissime Domine Iesv, per lacrymas tuas, per agoniam & sanguineum sudorem tuum, per mortem tuam rogo te, à subitaneâ & improvisâ morte libera me.

SECUNDA.

O Benignissime Domine Iesv, per acerbissimam & ignominiosissimam flagellationem ac coronationem tuam, per crucem & passionem tuam amarissimam, per omnem bonitatem tuam, humillimè te precor, ne permittas me sine Sacramentis morte repentinâ ex hac vitâ migrare.

TERTIA.

O Mi amantissime Iesv, ô Dominus meus, & Deus meus, per omnes labores ac dolores tuos, per pretiosum sanguinem tuum, per sacrosanctâ vulnera tua, per illas tuas, ô mi dulcissime Iesv, supremas in cruce voces: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me, per validum illum clamorem tuum: Pater in manus tuas commendo spiritum meum; ardentissimè te rogo, ne subitò hinc tollas me. Manus tuæ, ô mi Redemptor, fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, ne quæso, sic repente præcipites me. Da, oro, spatium penitentiae, da felicem & in gratiâ tuâ obitum, ut ego te totâ mente diligam, laudem, & benedicam in æternum.

Verumtamen, ô bone Iesv, in manu tua sita sunt omnia, nec est qui tuæ possit resistere voluntati. Vita mea pender à tuo nutu: desinet illa cum tu volueris. Neque ego aliud volo, mi amantissime Deus, quam hoc ipsum tuum velle. Quocumque loco, tempore, morbo extingui me volueris, ita fiat: hæc omnia summe bo-

me bonitati tuæ & divinæ providentiæ committo. Nullum locum, tempus, nullum mortis genus, quantumvis ignominiosum & acerbum excipio. Illud unicuique rogo, Christe Deus, ne improvisa & subitanea morte finiam. Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Si ita placitum est in conspectu tuo, ut morte subita tollar, non recuso. Fiat voluntas tua in omnibus, ô Deus. Spero enim & confido per magnam misericordiam tuam (per quam hoc ipsum unice precor) me tunc in gratia & amicitia tuâ moriturum; in qua si moriar, non me mors quantumvis subita separare à te poterit. Nam,

Sup. 4. v. 7. Iustus si morte praecipuus fuerit, in refrigerio erit. Improvisâ mors non est, cuius vita fuit provida.

Quod si ergo spatium mihi & tempus futurum non sit (tibi soli, ô Deus, hoc notum) quo me tibi commendem: ecce illud jam facio, & quam possum submissimè atque ardentissimè ad te in cælum de profundis clamo: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam: Fiat voluntas tua, Domine, sicut in celo, & in terra: In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me Domine Deus veritatis. Benedicant, & laudent te Deus, creata omnia. In te, Domine speravi, non confundar in aeternum.*

Ps. 30. v. 1.

§. 22. Dies vite pauci, & mali.

Quot es annorum? Sexaginta. Et quot tu? Septuaginta. Dic, & quorum tu agis annum? Octogesium. Ah, ô boni, ubi sunt vestri anni? Vbi sunt tui sexaginta? Vbi tu tuos septuaginta reliquisti? Et ubi tu octoginta tuos invenies? Quid numeratis jam amissos? Eleganter Lælius ille sapiens dicenti cuidam: Sexaginta annos habeo: Hos, inquit, dicis sexaginta, quos non habes? Nec quod præterit, nec quod futurum est, tuum est. In puncto fugientis temporis pendemus, & magni est, modicum fuisse.

Genes. 47. v. 8. & 9.

Ægyptius Rex Pharaon patriarcham Iacob interrogans: *Quot sunt, inquit, dies annorum vite tuæ?* Respondit senex: *Dies peregrinationis meae centum triginta annorum sunt, parvi & mali.* Audite Tantali, qui sititis perituræ vitæ extensissimos annos: Peregrinos vos scitote, non incolae. Sed neque diuturni itineris peregrini estis. Via vestra & brevis, & mala est: brevis, quia forsitan prius finienda, quam hæc ipsa, quam cum morte dividitis, hora: malam esse nescire non potest, quisquis etiamnum in illa est. Rubos sapiens, quam rosas offert: calendos. Et tamen miscelli adhuc hæretis, & immoramini his vepretis, tam immemores patriæ! Egredere docet Gregorius, vitam hanc viam esse ad cælum; viatorum autem multos via amenitate sic pasci, ut magis eos diu pergere, quam citius pervenire deleat. Heu nos deliros homines! Hosculis capimur, & speciosiores lapillos legimus, negligimus immensas gazas. Terræ sordes & cavernarum spumam corradimus, oblitri quantos & quam veros thesauros perdamus, dum fallös quærimus. Miseri & vani! Quid peregrino cum hosculis & lapillis, si ad patriam non perveniat? quid hæc reliquisse oberit, si patriam contingat? Laborare in hac viâ, lassescere, sudare, molestiarum quam plurimum pati, in maximo lucro ponendum. Tantò enim patria placebit magis quanto displicuerit exilium.

Lib. 23. Moral. c. 24. Hæc vita via est ad cælum.

§. 23. Quâ ratione juvenis possit mori senex.

Vti senes non senes, sed pueros, ita juvenes repertas non juvenes, sed ætate provectos. Barlaam eremicola, senex septuaginta annorum, Iosaphato Regi de ætate sciscitanti, annum quadragesimum quintum se agere respondit, ac miranti adjecit, tacuisse se studio viginti quinque annos; quod eos in mundi vanitates impensos, crederet omnino periisse. Ita Similius qui curis Curie sepultus, & potius Imperatori suo vixerat, quam sibi, sepulchro suo inscribi iussit: *Hic jacet Similius*

Barlaamus eremicola cur 45. annum agere se respondit

Tom. I.

A verulus septem. Regum fasti de Saule Hebræo rege hæc memoria prodiderunt: *Filius unius anni erat Saul cum 1. Reg. 13. regnare, capisset, duobus autem annis regnavit super Israël. v. 1.* Saul regni principio, tam sceleris purus fuit, atque infans est unius anni; in hac tamen puritate vitæ, unico tantum anno perstitit, licet universè viginti annis imperaret. Senium multi maturè, & ante senectutem, adipsunt; plerique numquam, qui etiam senes vitia retinent puerorum. Hinc pueri centum annorum moriuntur. *Vita bonum non est positum in spatio ejus, sed in usu: potest fieri, ut qui diu vixit, parum vixerit. Quare nihil turpius est quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, quam ætatem.* Eleganter S. Ambrosius de Agnete virgine: *Computabatur, inquit, in annis infantia, sed erat senectus mentis immensa.* Divina Sapientia: oraculum proclamatur: *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & 9.*

B atas senectutis vita immaculata. Idcirco mores potius quam crines venerandi. Reverentiâ planè uberiore dignus est, quisquis ante annos sit senex. Proba vita, senectus optima.

Arporuit, inquit, tam immaturè mortuus evadere vir magnus, & Reipublicæ perquam utilis. At potuit etiam (quod iustius timetur) fieri pluribus similis Aspicere juvenes quos luxuria in omne vitium propellit quibus nullus dies sine aliquo insigni flagitio exit. Ergo ille *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Consummatus in brevi, explevit tempora multa.* Quicumque ad extremum sui sæti venerit, hic moritur senex. Sæpè in longissimâ vitâ minimum est quod vivitur. Gloriosius multò est suâ virtute quam temporis dono fuisse. Satis diu vixit, qui bene vixit: satis diu pugnavit, qui vicit.

Sup. c. eod. v. 11. & 13.

Gloriosius est virtute quâ temporis dono fuisse.

§. 24. Paradoxum. Quisquis voluit, diu vixit.

Breve tempus atatis, satis longum est ad bene vivendum, Lib. 1. Tusc. inquit Tullius. Nemo nimis citò moritur, qui diutius aut melius victurum quam vixit, non fuit. Satis annorum vel ephēbus numerat, qui virtuti, qui æternitati, ad quam natus est, vixit. An non satis locutus est, qui verbulo aut nutu persuasit? An non satis cucurrit, qui palmam obtinuit? An non satis navigavit, qui in portum feliciter pervenit? Optimè enim omnium, qui citissimè. Modò mors præmeditationem nostram non præveniat; quò velocius, eò felicitior erit.

Verum ego (ait apud Curtium Rex Macedo) qui non annos meos, sed victorias numero; si munera fortuna bene computo, diu vixi. Quantò verius, qui vitam suam omnem Deo consecrat, suoque solum Domino placere studet & servire, fidenter dicat: Ego, qui non annos meos, quibus Deo servio, sed desideria mea numero, si beneficia Domini mei bene computo, diu vixi.

Lib. 9. c. 12. med.

Sic est profectò: Centum, imò mille annos, imò sæcula vivit, & Deo servit, quisquis ex animo verèque cupit centenis vel millenis annis; aut multis sæculis Deo servire, si vivere tot annis liceret. Nam apud Deum Voluntas voluntas pro facto sumitur, apud quem ferid voluisse apud Deum facere, sæpè tantumdem est, quantum fecisse. Sic & pro facto martyr esse potest, sanguinemque Christianâ nobilitate profundere, licet sua morte in lectulo defungatur: sic & diu vivere, atque pro Christo fortiter & agere & pati potest, quisquis ardentè cupit ideo diu vivere, ut multum & agat pro Christo & patiat. Nemo non suo die moritur, quisquis divinæ voluntatis decreto moritur.

§. 25. Moriendum est, moriendum.

Augustus Imperator captâ Perusâ in plurimos animadvertit. Orare veniam vel excusare se conantibus, hac unâ occurrit voce: *Moriendum est.* Ita trecentos Dio ait 400.

D 2

ad aram